

Hic est quo nisi regnum debebat auitum,
 Spes patria nuper, spes quoque prima patris:
 Pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hoste
 Ipse illum Mauors vidit & obstupuit,
 Aggressusque dolo, & crudelis fraude veneni,
 Sustulit, heu magnis fraus bene nota viris!
 Maeste tamē Princeps. Nam te Mors ipsa fatetur,
 Non aliter vinci quam potuisse dolo,
 Nimirum fieres princeps Pellaeus ut alter,
 Consimili decuit te quoque fraude mori.

CAROLI, FRANCISCI GALLORVM
 Regis F. & Aureliorum ducis,
 MEMORIAE.

Gallia felici felix mihi patria nuper,
 Idem etiam nuper Rexque paterque fuit.
 Ingenium (nisi me assentatrix turba fefellit)
 Celeste & pictis amula forma Deis:
 Iamque mihi externos sors blanda parabat honores,
 Iam poteram magni Caesaris esse gener:
 Quando ferox blanda pro coniuge Parca reperta est,
 Quae mihi pro thalamo sterneret huc tumulum;
 Nec tam erepta mouet tamen hac me comoda vita,
 Quam doleo abruptum nobile pacis opus.
 Sed quamquam haud potui pacem componere viuis,
 Quis scit ab interitu surget an ipsa meo?